

**Dissertatio inauguralis medica de quibusdam asylis ignorantiae  
medicorum ... / subjiciet ... Jo. Matthaeus Lurtz.**

**Contributors**

Lurtz, Johann Matthäus.

**Publication/Creation**

Altdorfii Noric : Literis magni Danielis Meyeri, [1718]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dbzaeexe>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
*DE*  
QVIBVS DAM  
ASYLIS IGNORANTIAE  
MEDICORVM  
*QVAM*  
DIVINI NVMINIS PRÆSIDIO  
GRATIOSI ORDINIS ASCLEPIADEI  
IN ACADEMIA ALTORFINA  
DECRETO  
PRO LICENTIA  
HONORES IN MEDICINA SVMMOS  
ET PRIVILEGIA DOCTORVM  
RITE IMPETRANDI  
PVBLICÆ DISQVISITIONI  
*SVBIICIET*  
AD D. XXVIII. IVN. A. R. S. cI<sup>o</sup> I<sup>o</sup>cc XVIII.  
JO. MATTHÆVS LVRTZ,  
HERBIPOLENSIS FRANCVS.

---

ALTDORFII NORIC.  
LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.





DE  
QVIBVS DAM  
**ASYLIS IGNORANTIÆ  
MEDICORVM.**

**§. I.**



Uod suo quidem tempore conquestus est *Gulielmus Gratarolus* in Opusc. var. Argentorati anno M D LXIII. editis p. 46. *fere neminem non scire videri velle, etiam qua nesciat*, idem aliis etiam superioribus seculis in hunc usque diem, & adeo nunquam non usu fuisse arbitror, cum primis in *Arte Medica*. Posteaquam enim hæc sublimius excoli, ejusque doctrina per modum scientiæ tractari cœpit, commune veluti hoc enatum est præjudicium, quod nihil ad istam artem pertinens debeat aut queat proponi, cuius ratio & causa reddi & demonstrari nequeat. Hinc illud venerabile Medicorum dogmaticorum & rationalium nomen, qui empiricorum ruditatem, et in designatis morborum aliarumque ad Medicinam spectantium

titum rerum causis ignorantiam alto supercilie despiciabant.

### §. II.

Verum enim vero inter ipsos, qui *Dogmaticam Medicinam* antiquitus professi sunt, non omnino defuere viri cordati, qui suæ scientiæ & experientiæ defectum libere confiterentur. Ita sane medicorum princeps *Hippocrates* primo statim aphorismo suo, dum *artem longam, occasionem celerem, experimentum periculosum, judicium difficile* pronunciat, haud obscure videotur significasse, *quantum absit a perfectione medicina*, et quam multa possint fugere hominem, qui eam exercet. Quin & idem sapientissimus Senex in *Epist. ad Democrit.* candide fatetur, se, licet jam admodum senem, nondum ad medicinæ finem pervenisse, ut neque *ipsius invento* *Æsculapius*, qui in multis a semetipso dissenserit.

### §. III.

Similem modestiam in *C. Celso*, qui jure meritoque *Latinus* dicitur *Hippocrates*, suspicere decet. Is etenim, cum argumenta præcipua inter se concertantium Empiricorum & Dogmaticorum, scite proposuisset, suam tandem in medium proferens epicrisin in *prefat. Lib. I.* inter alia sic statuit: *Quæ demum causæ, vel secundam valetudinem præstent, vel morbos excitent, quomodo spiritus aut cibus deferatur, vel digeratur, ne sapientiae quidem professores, scientia comprehendunt, sed conjectura prosequuntur*, et paulo post idem ait: *est enim*

¶ . 5 .

enim hæc ars conjecturalis, neque respondet eà plerunque non solum conjectura, sed etiam experientia. Paulo durius hæc dicta videri possunt, neque ego penitus ad stipulari velim Celsus, quasi vix ullarum, quæ Medicinæ subjectæ sunt, rerum certa & evidens ætiologia existat, hoc præsertim novissimo ævo nostro, quo sane multa in variis doctrinæ medicæ partibus longe magis perspicue quam olim tradita & demonstrata habentur.

### §. IV.

Cæterum negari neutquam potest, quod in explicandis tam physiologicis quam pathologicis phænomenis, & quondam confictæ fuerint, & hodieque prætexantur rationes & causæ, veritati minus consentaneæ, & quarum demonstratio nulla est. Talium assertions non video quomodo quis aptius posset appellare, quam *Asyla ignorantiae*? Huc profecto referendæ sunt tot ac tam libere a veteribus medicis scriptoribus accusatæ *qualitates occultæ*, & *obscuriora rerum obscurarum vocabula*, quorum inventores, dum aliquid dixisse voluerunt, re vera dixerunt nihil. Sed jam pridem hujusmodi nugatores perstrinxit Galenus Lib. III de præfig. ex puls. cap. V. Qui nihil (inquit) sciunt, ad alterum de duabus configiunt, vel ad nomina ignota, vel ad qualitates occultas.

### §. V.

Illustre exemplum hujusmodi *obscurae & absurdæ appellationis*, *ignoto morbo impositæ*, pridem exhibuit Hippocrates

pocrates singulari tractatu de morbo sacro. Homines (ait) naturam & causam ejus divinam esse putaverunt, præ imperitia & admiratione, propterea, quod aliis morbis nulla resimilis sit, & propter inopiam quidem, quod non cognoscunt, divinitas ipsi conservatur. --- Ceterum, qui primi hunc morbum sacrum esse pronunciaverunt, tales homines mihi esse videntur, quales etiam nunc sunt magi & expiatores & circulatores, & quidam arrogantes, qui se vehementer pios esse simulant, & amplius quid scire. Hi itaque consiliæ ac mentis inopia obvelantes ac praetexentes divinitatem, cum nihil haberent, quod exhibitum prodesset, ut ne manifesta fieret ipsorum ignorantia, sacram hanc affectionem pronunciarunt. Hæc aliaque plura sapienter non minus quam graviter contra istud ignorantiae asylum effatus est medicorum coryphæus.

## §. VI.

Utinam vero ab illo tempore abstinuissent arti medicæ operati a similibus ignorantie vanis refugiis temerè effingendis ! sed, proh dolor ! contrarium deprehenditur, & subinde ad causas supernaturales relati sunt affectus ignoti, aliquibus etiam portentosa tributa nomina. Quid enim ignis sacer & S. Antonii, Chorea S. Viti &c. aliud produnt, quam veræ istorum morborum cause ignorantiam, hujusque asyla, tametsi incongruorum talium vocabulorum inventio non tam medicis quam superstitione plebi fortasse imputanda sit. Quemadmodum ipse recordor, quod circa patriam meam dolor colicus, St. Veits Wurm / hectica febris, die Schwefel-Kerzen / Apoplexia, die Hand Göttes popularibus absurdis

absurdis phrasibus definiantur; ne plura commemorem ejusmodi horrenda nomina, quæ inventorum ex vulgo crassam ignorantiam arguunt. Hoc interim persuasum habeo, quod frequens illa *causarum supernaturalium in morbis accusatio*, harumque ad incantationem, fascinum ipsumque diabolum nimis prompta reductio, et floccifaciendæ medicinæ et superstitioni haud levem raramque dederint occasionem.

## §. VII.

Multo autem plura & evidenter extant *Medicorum ignorantiae asyla*, quorum quædam velut in summâ recensuit Georg. Francus in *dissert. de medico monstroso Heidelbergæ anno 1677.* habita pag. 32. Cum sæpius (ait) de morbi statu & causa disseratur oportet, a multis certum constituitur *Asylum*, ad quod refugiunt, cum in angustias de natura morbi explicanda redacti fuerint; Usitatoria magisque nota hactenus fuere & adhuc sunt, *Passio hypochondriaca*, *obstrudio venarum mesentericarum*, *Stomachus vapores crudiores versus pectus ac caput excludens*, *cataarrbus in humeris, lumbis, femore ac pedibus*, *scorbutus item acidus et Salinus*; hæc et alia refugia inserviunt monstrosorum medicorum scientiæ, tutiori in vado locandæ. Hos & alios (inquit ille porro) affectus ludibrio neutiquam habeo, multo minus pro non-entibus temere proclamo, agnosco & ipsos ipse met; hoc saltem innuo, quod unus ex hisce non omnium quorumcunque obviorum morborum essentiam & causas explicet, & quod monstrosus sit ille medicus, qui cum semel scorbuticus factus fuerit, quodcunque morbidum obvium pro scorbuto agno-

agnoscat, tractet & curet: sicque *hypochondriacus*, *cataarrhosus* eadem chorda oberrent, &c.

## §. VIII.

Atque ita est omnino, saepiusque luditur haec fabula, mutatis personis. Quantum enim seorsim attinet ad *scorbutum* & *obstructiones*, quæ compluribus, interdum plane alienis affectibus, tanquam vera nomina temere affinguntur, & in *assylum ignorantie* convertuntur, idem de Germanicis quoque medicis, (utinam paucis!) asserere licebit, quod de Belgis suis liberè testatus est *Gerardus Goris de medicina contempta* pag. 97. Medicorum scorbuticorum & obstructorum haud exiguis est numerus. Hi probe edidicerunt, quod scorbutus sub omnium morborum larva corpora nostra aggredi soleat, quodque scorbutici scorbuticos generare consuescant: Hinc omnes, saltem morbis chronicis agrotantes, judicant scorbuticos, sive ipsum aegrum videant, sive urinas inspiciant, ut videantur aliquid dixisse, crassamque suam ignorantiam tegant, semper innocentem culpant scorbutum. In eadem arundine longa equitant omnes illi, qui semper ad invicem & apud aegros de obstructionibus garriunt, quasi verò illae generales, nullaeque aliae essent praeter has morborum cause. Sed aequa hic quam alius frivolus est praetextus, neque alios, praeter ignorantiam & ignoriam authores agnoscit.

## §. IX.

*Vix melioris nota refugium præbent cruditates ventriculi, & vapores in caput ascendentess, aliave ad loca sese diffun-*



diffundentes : quamvis enim tales non raro usu veniant , nimis tamen frequenter incusantur in morborum saepe nihil de iisdem participantium ratione reddenda : Scite hunc abusum reprehendit Bernhardus Swalve , quando in querelis & opprobriis ventriculi pag. 246. ipsum loquentem introducit ventriculum , his verbis : *Tanto cum distem a capite intervallo, nihilominus universa propemodum strues & gritudinum ex me, ceu fonte uberrimo, arcessitur. Non ego me immunem, aut semper insontem volo. Vapores etiam ex me per œsophagum in caput ascendere quandoque haud abnego, nec iniustum vaporum censorem Helmontium audiendum censeo : per solum enim actionis regimen citra fumum, vaporemve caput mihi non auscultat, interim tamen crebro causarum locum obtinere vapores ex me elevatos non sine injuria mea gravi statuer. Opportuna doloribus, aliisque affectibus pars est caput; sed impotens ipsum per casus multos suopte sibi nixu gignit varias causas.* Plura in eandem rem non minus graviter ac velut ex instituto differuit aliis author , qui sub ficto Balthasaris Andreæ Ferrioli nomine (ut mihi quidem videtur) latere voluit, integro tractatu, *morbosi ventriculi infelix hactenus tentata cura inscripto* , & idiomate Germanico , Francofurti ad Moenum anno 1668. edito.

## §. X.

Quid porro vulgatius est, quam *apoplexiæ* accusatio , in qualibet fere sensuum & motus cessatione

B

aut

aut morte subitanea? de quibus accidentibus & even-  
tibus in promptu est populare judicium: Es habe den  
**Patienten der Schlag** gerühret: quodsi vero etiam  
rhonchus sive stertor aliqualis simul fuerit observa-  
tus, tunc illico dicunt, es habe ihn ein **Steck-Fluß über-**  
**fallen.** Bardus equidem & stolidus censeri merere-  
tur, qui talia revera sæpius contingere inficias iret,  
quod vero adeo frequentissime, ceu vulgo perhibe-  
tur, id fiat, minus convenit cum veritate. Nimi-  
rum per anatomen practicam aut dissectionem talium  
personarum, quæ apoplexia aut catarrho suffocativo  
periisse credebantur, alia longeq; diversa morbi & mor-  
tis causa crebro detecta fuit; cuiusmodi exemplorum  
referta est *dissertatio erudita, de erroribus circa causas mor-  
tis subitæ, habita Wittenbergæ anno 1703. sub Præsidio Ex-  
cell. Viri D. Jo. Henr. Heucherij.* Eadem quoque ob-  
fcuritas & nimium facilis *apoplexiæ culpatio* ante plu-  
sculos jam annos permovit magni nominis Medicum  
*Jo. Jac. Wepferum*, ut *observationes anatomicas ex cada-  
veribus eorum, quos sustulit apoplexia, cum exercitatione de  
ejus loco affecto* emitteret in lucem publicam. Cæte-  
rum eundem errorem ac temere quæsitum in *apople-  
xiæ asylum ignorantiae repentinorum casuum*, Anglis spe-  
ciatim medicis & concivibus suis acriter exprobravit  
*Gedeon Harvæus in arte curandi morbos expectatione pag.*  
288: *Quicunque (ait) aspectu sanguis vel aliquantillum tan-  
tum valetudinarius vel in statu neutro existens subita morte  
obruitur, ab insignissimis nostris Medicinae præscriptoribus  
apoplexiæ defunctus dicendus est; ergo pro eadem regula vel  
dicen-*



dicendi more, omnes fures & latrones patibulo enecati, apoplectici mortui sunt. Verum enim vero res aliter se habet, & judicium istorum de apoplexia errabundum, ab institutionibus medicis, minus ab eis intellectis, falsoque apprehensis profluit.

## §. XI.

Aliud insuper, & vix ulli secundum *ignorantiae asylum* suppeditat ubique jaētata, pluribusque morbis imputata *malignitas*, cuius appellatione tam prompta & frequenti astute admodum excusantur *improvisae morborum exasperationes*, & *in pejus conversiones*, licet hæ non ab ipsius morbi malitia quadam singulari, quam ab *inepta curatione* sæpius profiscantur. Haud equidem diffiteor, cum sagacissimo Georgio Baglivo, Prax. med. Lib. I. cap. V. §. 9. dari interdum febres aliosque morbos vere malignos, ab aura & humore venenis analogo, nostrisque sensibus vix perceptibili productos, quales a pravis qualitatibus aëris & influentias, cibis deleteria substantia, animalibus venenatis, & aliis hujusmodi cansis excitantur; Sed haec rara avis in terris, nec ita frequens in singulis morbis, ut vulgo Medicis arbitrantur. Hi enim non examinatis diligenter causis morborum antecedentibus, symptomatis, & statu pene integro morbi, magnos hac ratione errores in methodo curativa committunt, per quos quidem cum morbus natura sua lenis, graviter exacerbetur, statim exacerbationis illius causam malignitati, nescio cui latenti, vel ab ipsis excogitatae, attribuunt: interea nescientes, in quibus talis malignitatis natu-

ra sita sit, populari illi opinioni solummodo acquiescunt; scilicet humorum malignitatem medicamentis alexipharmacis, & excalefacientibus aggredi statim debere se, & per sudores eliminare. At post multos eductos sudores, non solum malignitas illa, interdum non submovetur, sed potius per eos, latentes viscerum inflammationes, quæ talium febrium plurimum sunt causa genuina, magis magisque augentur, & in graviora mala conjiciunt agrotantem. Hucusque doctissimi Baglivi sententiam, de malignitatis mendaci accusatione, in medium proferre lubuit, saltem ut appareat, quam non inique inter asyla medicorum ignorantiae eandem numeraverim.

## §. XII.

Longa nimis evaderet tractatio, si cuncta quæ restant & mihi cognita sunt, ejusdem commatis *refugia* percensere vellem, imprimis ea, quæ ad explicandas variarum in corpore humano, tam secundum quam præter naturam evenientium rerum causas stabilita esse videntur. Non possum tamen, quin mentionem aliquam injiciam *fermentationis* & *effervescentiæ*. Horum vocabulorum usus ex Chymia præcipue ad oœconomiam animalem, haud parum vitioso analogismo traductus est ab Helmontio, applaudente & amplius adstruente Willisio. His antesignanis, communī quodam sequentium Medicorum consensu, adjudicata sunt singulis visceribus peculiaria fermenta, quorum virtute non solum chylificatio & sanguificatio, sed & quorumvis humo-

humorum elaboratio & sequestratio perficeretur : Et profecto nihil dictu est facilius , quam quod *ventriculi fermentum* ab alimentis eliciat chylum , *succus pancreaticus bili occurrens* nova *fermentatione* ( vel *effervescentia* potius ) chylum crudiorem exaltet , quod *cordis fermentum* sanguificet , *hepatis bilem* progeneret , *renum urinam* , *testium semen* ; & sic de cæteris . Ita sane quam commodissime extruitur *inficitæ* , quomodo illa singula peragantur , *egregium asylum* . At enim vero , ab aliquot jam lustris cordati viri destructionem ejus aggressi sunt , quos inter excellit *Melch. Frid. Geuderus* , qui peculiari *Diatriba de Fermentis variarum corporis animalis partium specificis & particularibus* , eorum existentiam falso supponi , nullamque veram *fermentationem* nedium *effervescentiam* in homine fieri , accurate demonstravit . Hinc etiam *Gratiosa Facultas Medica Lipsiensis* ad Clar. *Raymundi Vieussens* epistolam de *Sanguine humano* ( in qua *Fermentationis* illius doctrina tanquam certa libere asseritur ) non dubitavit respondere : *Fatemur ingenua fermenta hinc inde in machina animali* , ex analogia quacunque chymica a plerisque magis supposita , quam solide comprobata , aequo ac ipsam sanguinis fermentationem proprie dictam , apud nos atate præsentis deferuisse , chylique albedinem a bilis sulphure in duodeno admixto vix solitarie posse deduci , cum chylus semper , bilioso etiam fluido præternaturaliter constituto , albedinem præ se ferat . &c.

### §. XIII.

Eadem est ratio *fermentationis & effervescentiae*,

quæ in statu hominis preter naturam æque frequenter substituitur in locum obscurioris causæ morbificæ, aut verius *ignorantiae* præbet *asylum*. Sat equidem cito absolveretur hoc modo *etiologya*, si sat bene comprobari posset illarum vera præsentia. Verum hic itidem deficit demonstratio, & quamvis in aliquibus morbis *simile quidpiam fermentationi vel effervescentiae* appareat, hoc tamen alterutro istorum vocabulorum minus proprie notatur. Quare non pauci ex modernis & prudentioribus Medicinæ Scriptoribus malunt ab ipsis vocabulis abstinere, quam dubiis illorum notionibus turbare discentium aut legentium animos.

## §. XIV.

Easset in proclivi plura hujusmodi *asylorum* exempla producere in conspectum; qualia sunt *peregrinus aether*, quem toties, pro variorum affectuum ignota origine declaranda, medici secundum *Cartesii principia philosophaturi*, accusant; nec minus pro *effugio inscitiae* frequentata *Viscerum antipraxis*: Etenim vix sine fastidio vel risu saltem audire licet, quam prompte & quam crebro *culpam* ea sustinere debeat *itrita vel non ex voto succendentis curationis*; quam statim excusare norunt callidi artifices, dicendo v. g. *Der Patient habe einen kalten Magen / und eine hitzige Leber &c.* Hinc fundi calamitas! Fallor, an huc quoque pertinet illa nimis usitata hodie *errorum naturæ increpatio*, qua novatores quidam suos ipsorummet *errores & imperitiam*

peritiam in medicina facienda expedite sciunt defendere , adeo liberaliter errores vix corrigendos affingendo naturæ , cuius tamen providentiam & singularem peritiam in conservanda sanitate morbisque averterendis & profligandis , extra illam *asyli querendi* necessitatem , vix satis extollere & prædicare valent.

## §. XV.

Sed ego manum atque calatum jam retraho ab *odiosæ hujus materiae ulteriori disquisitione* , quam quidem non alia intentione suscepi , quam ut memetipsum tempestive admonerem , haud temere quærenda sed fugienda esse talia *perniciosa* interdum , aut *inutilia* saltem *asyla* , quæ medico in opprobriuni , ægrotantibus vero in damnum vergere queunt. Cæterum serio protestor , quod nemini injuriam faciendi causa , vel ex petulanti conatu alios vituperandi , hæc hactenus conscripseric festinanter quidem atque breviter , saltem veritatis inquirendæ & confirmandæ studio : Cum interim persuasum habeam , unumquodq; istorum *ignorantiae asylorum* mereri , ut *integra Dissertatio-ne* fusius examinetur atque convellatur. Exurgent tamen fortasse alii doctiores magisque cordati viri , qui ulcus istud liberius tangere , ipsique medicinam afferre haud gravabuntur. Mihi in rebus tam magnis & voluisse sat est.

S. D. G.

COROL-



## COROLLARIA.

propter fugam vacui spatii adjecta.

### I.

*Honesfius est Medico suam ignorantiam profiteri in rebus abstrusis & latentibus morborum causis, quam sub scientiae praetextu mendacium dicere.*

### II.

*Quamvis in mulierum affectibus sepiuscule, vel primario vel secundario patiatur uterus, frequenter tamen non hystericum complicatum esse falso statuitur, ipsi morbi perperam hysterici cognominantur.*

### III.

*Post inventam & demonstratam sanguinis circulationem, uti multum pristinæ auditoratis suæ amisit hepar, ita quoque a frequenti imputatione & reatu, quod omnis fere intemperiei præternaturalis fons & origo existat, liberari cœpit; tametsi bodieque medicastri asylum istud sanctissime venerentur.*

